



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv**

**More, Henry**

**Avdomari, 1660**

Gerardi post fugam ex Arce studia. n. 41.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38320**

te bona diem obiit extreum, quatuor votorum Professus ab anno 603.

LXI *Ioannes Gerardi* postquam in Arce Custodes sefellerat, consueta Societatis munia relinens exercitijs spiritualibus plures excoluit, Societatis homines in varia distribuit nobilium virorum domicilia quibus ipse auctor fuerat ad fidem vel ad perfectiorem viuendi rationem amplectendam; plures transmisit Societatis candidatos, *Rogerium Lea, Thomam Strangium, Nicolaum Hart, Thomam Smith* et alii; plures ad studia literarum in ceteris Seminarijs. Tantâ verò pollebat sermonis gratiâ, tam scitè le ad Nobilium mores conluetudinemq; formabat tegebatque loletter personam, ut quicunque efficacitatem in le ipso expertus fuisset congressionis, si quem familiarem habebat cui ut sibi optaret, hunc ad *Gerardi* colloquium induceret, certus effectum expeditum fecuturum: qui etsi nemini deerat præcipue tamen operam ponerebat in ijs excolendis, sive in communi, sive in sciuncto à saeculi curis vita genere, quos ad summum quidpiam perfectumque peruenire posse iudicabat. In le autem obleruauerat Deum inexpectatam non infrequenter suppeditasse intelligendi & eloquendivim, quâ & Hæreticorum Politicorum que occurseret argumentis, & sua neruosius confirmaret; Ut eo minus mirandum sit tam magnam vtriusque sexus nobilitatem ad eius auxilia perpetuo confluxisse; neq; minorem tamen laudem meretur ipsius sincerum atque indefessum Dei gloriae promouenda studium. In alijs autem animaduerterat injici non raro ingentem inter confitendum difficultatem; ut quamvis paratiissimi accederent, repente deficeret animus, corpus langueret, quasi morbo aliquo correptis, & interquiescendum necessario fuerit donec receptis viribus daretur progreedi, perfecta verò Confessione alacres & lato surrexisse, ac dicere solitos, si sciret homines quād magnum afferat bona confessio leuamen nunquam le tanto beneficio priuaturos.

Inter hæc prodij in lucem coniuratio pulueraria; *Gerardus* inter primos Regio Edicto proscriptur velut auctor auctorque coniurationis. Is innocentiae luæ concius diligentia vtendum existimauit vt nè testis integratatis decesset postquam coniurati omnes plecterentur. Itaque confessim scriptis ad Euerardum Digbyrum literis, post sinceram coram Deo iudice & cordium scrutatore sine omni æquiuocatione protestationem quod nulla eius facinoris notitia ad se peruenisset antequam re detecta omnium sermone perulgaretur, rogat vt quoniam ipse conspirationis coniuctus jatque damnatus, nullam nisi à Deo misericordiam expectare iam posset, testari vellet sequentia. Primum Vtrum in die animarum proximè clapo, hoc est, bido triduoū ante detectam coniurationem, venienti ( inquit ) mihi domum tuam matutino tempore, cum spe & desiderio celebrandi, & miranti non sacram supellecile tantum, sed omnem penè domesticam esse lepositam, non responderis te iter parare in Comitatum Warwicensem ad venandum cum amicis quibusdam, ideoque & canes præmissi; deinde animum aduententi ad alia plura ( vt quod ab aliquo tempore c-  
V u quos

1606.